

EXPOSTVLATIONEM HVTTENI.
nium quibuscum familiariter uixi, non dubitarim mo-
res meos sic à liuoris morbo asserere, ut à nullo uitio
magis absim. Audi nunc alteram afflictionem æque
effrontem. Ideo tantum tribuo Capitoni, quod lauda-
rit meum Nouum testamentum, quemadmodum fecit
¶ Berus. Ut diuersissima connectit, imò ideo cito Be-
ri ¶ Capitonis Theologorum de nouo testamento iu-
dicium, ut Theologorum clamores retunderem, qui
nihil uolebant legi nisi ab ipsis probatum. Si legi de-
bet, quod suffragio Theologorum probatum est, hoc
opus erat à Theologis non uulgaribus probatum, quod
Louanienses Theologi damnabant. Itaque nihil im-
pudentius erat, aut intempestiuus ijs, quæ declamat
de alienæ gloriæ obtrectatione. Nunc uero uenien-
dum ad illud crimen, horrendum ¶ atrox: cu-
ius Huttenus negat se unquam mihi gratiam fa-
cturum, quum sit alioqui clementissimus. Ipse hor-
ret dicere. In epistola quadam ad Episcopum Rof-
fensem Capnionem insimulo perfidiæ. In tam atro-
ci facinore operæ precium est ipsa epistolæ meæ uer-
ba subscribere. Causa, si uera narrant, hæc fuit.
Quum periculum esset ne dux Vuertembergæ =
sis Studgardiam reciperet, Reuchlinus ciuibus ali-
quot erat autor, ut alio demigrarent, ipse comes il-
lis futurus. Profugerant illi. Reuchlinus mutato
consilio mansit, suæ supellectili consulens. De-
inde rursus profligato duce, per quosdam amicos
impetra